



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Thronus Dei Maria Deipara

Spinelli, Pietro Antonio

Coloniæ Agrippinæ, 1696

Dedicatio S. Mariæ ad Martyres Romæ 13. Maii, ibidem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46853](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46853)

Romanorum  
Pantheon  
in B.V. ac  
omnium  
martyrum  
honorem  
dicatum.  
Martyrol.  
Rom. Boni-  
facius IV.  
Pont.

DEDICATIO S. MARIÆ AD  
Martyres Roma 13. Maii.

**D**edicatio Ecclesiæ sanctæ Mariæ ad Mar-  
tyres Romæ 13. Maii: *Quam Ecclesiam,*  
inquit Martyrologium Romanum ad eam di-  
cem, *Beatus Bonifacius Papa Quartus, expurga-*  
*to Deorum omnium veteri fano, quod Panthe-*  
*on vocabatur, in honorem Beatae semper Virgi-*  
*nis Mariæ, & omnium martyrum dedicavit,*  
*tempore Phoca Imperatoris. hæc ibi. quod ex*  
*Sigiberto apud Genebrardum ad annum Do-*  
*mini 613. refertur. Gregorius vero Quartus*  
*qui sedit anno 828. eandem festivitatem sub*  
*honore Dei Genitricis, & omnium Sanctorum*  
*in universali Ecclesia die primo Novembris,*  
*ut supra diximus, celebrandam decrevit. Ro-*  
*mæ tamen die etiam decimo tertio Maii in e-*  
*odem Templo, olim Pantheon dicto, ejus dedi-*  
*catio fidelium concursu celebris habetur.*

EXPECTATIO PARTVS DEIPARÆ  
18. Decembris in Hispania.

Expecta-  
tionis par-  
tus Deipa-  
ræ solemn-  
tas, à quo  
institutæ.

12. **E**xpectatio partus Deiparæ die decimo  
octavo Decembris solemnitas est cele-  
berrima in Hispania: etenim, ut supra diceba-  
mus ex Mariana, anno salutis 656. à Concilio  
Toletano X. cap. 1. sub Eugenio Archiepiscopo  
Toletano institutum est festum 15. calendarum  
Januariarum, hoc est 18. Decembris, sub nomi-  
ne Annuntiationis Deiparæ, quam Patres il-  
lius Concilii, quod condigne in Quadragesi-  
ma, vel Paschate celebrari non posse videret-  
ur, in illum diem transferendum duxerunt, his  
verbis: *Ut ante octavium diem, quo natus est Do-*  
*minus, Genitricis quoque ejus dies habeatur ce-*  
*leberrimus, atque præclarus, ex pari enim hono-*  
*re constat, ut sicut Nativitatem filii sequen-*  
*zium dierum insequitur dignitas, ita festivitatem*  
*matris tot dierum sequatur sacra solemnitas.*  
*Nam quid festum matris, nisi incarnatio*  
*Verbi? cuius festum ita debet esse solemnne, sicut*  
*est & ejusdem Nativitatis Verbi. hæc ibi. Ve-*  
*rum postea sanctus Ildefonsus Eugenii nepos,*  
*& in Toletano Episcopi opatu successor, ean-*  
*dem diem Deiparæ facram sub nomine Ex-*  
*pectationis partus ejusdem esse decrevit, eam-*  
*que magna pietate in hoc usque tempus ce-*  
*lebrant Hispani, quam etiam à Gregorio XIII.*  
*confirmandam curavit, cum Annuntiatio*

Virginis ibi 25. die Martii cum universali Ecce-  
lesia recolatur. hæc porro solemnitas vulgo S.  
Maria de O vocatur, quod in primis hujus solē-  
nitatis vesperis in Ecclesiastico Officio ponan-  
tur celebres illæ Antiphonæ ante Nativitatem  
Domini ab O initium ducentes, quibus anti-  
quorum Patrum ardens desiderium Christi Do-  
mini Adventum cupide expectantium exprimitur.  
Vide Ribadeneiram in Vitis Sanctorum  
ad diem 18. Decembris; Arnoldum Wyonium  
in Martyrologio Benedictino eadem die; Ma-  
rianam lib. 6. de rebus Hispan. c. 9. Azor tom. 2.  
lib. 1. cap. 28. & Vincentium in speculo historia-  
li lib. 7. capite 120.

FESTVM DEIPARÆ A CONSTAN-  
tinopoli seu Odigitria, quod feria 3.  
Pentecostes celebratur.

13. **F**estum B. Virginis Odigitriæ, quod in Si-  
cilia mutuo, ac decurtato nomine de I-  
tria, alii vulgo appellant à Constantinopoli, feria  
tertia Pentecostes (ubi aliquod ei Templum, Constan-  
tinopoli, seu Odigitria, vel Sacellum erectum est, ac dicatum) magno  
populorum concursu celebrari consuevit:  
quemadmodum Romæ, Neapoli, & alibi præ-  
sertim in Sicilia fieri videmus, ejusmodi vero  
festum duxisse videtur originem à Deiparæ I-  
magine sancti Lucæ penicillo expressa, & à Pul-  
cheria Augusta Theodosii Junioris sorore  
Constantinopolitani Templo à se à fundamen-  
tis excitato, cui nomen τὸ ὀδηγῶν, hoc est *vis*  
*ducum*, est inditum collocata, una cum quibus-  
dam Christi Domini fasciis, ac fuso ejusdem  
Virginis, de qua Imagie Nicephorus libro  
decimo quinto, capite decimo quarto. Pulche-  
ria, inquit, Augusta Templum in Urbe Con-  
stantinopolitana crexit ὀδηγῶν *via ducum* ap-  
pellatum, ubi Antiochia missam Verbi matris  
Imaginem dedicavit; quam D. Apostol. Lucas  
suis ipse manibus depinxit, illa adhuc vivente,  
& tabulam ipsam vidente, gratiamque adeo illi  
formæ suæ immittente. Hæc Imago in loco,  
quod Tribunal dicitur, fuit; ubi ea, quæ nunc  
quoque fiunt miracula, peracta sunt. Porro in  
Templo illo, ut TERTIO quoque septimanz die  
pervigilium fit, & supplicatio perageretur, cu-  
ravit, quod ad hunc usque diem servatur. hæc Ni-  
cephorus. Ex quo factum est, ut Constantino-  
politani, cum vel hostium obsidione, vel aliis  
angustis premerentur, ad Deiparam confuge-  
rent.